

ortos mitigandos. Applicantur ut plurimum | ex calfacto lapide aut vino, aut aceto, aliove liquore conueniente asperso; quo calorem contrahat, sicque parti applicentur, vel supra laminam ferream vino extinctam calefiat. Aliquando eorum materia in sartagine torrefacta, sacco inditur.

## De Epithematis.

## CAP. LIII.

Veteres omnia medicamenta in malagmatis formam composita, quæ extrinsecus mediis partibus applicabantur, ἐπιθέματα ab applicando vocarunt. Posteriores vero medicamenta humectantia, quæ ex aquis stillatitijs vel decoctis plantarum & pulueribus conficiuntur, sic nominant.

Dosis autem est, ut ad aquar. ℥. j. puluerum ℥ i. ℞. vel ℥ ii. addantur, quibus aceti vel vini albi, penetrationis gratia, octaua vel decima pars additur. Exempli gratia, Epithema ad somnum conciliandum:

℞. Aq. rosar. ℥ iij.  
aceti rosati ℥ j.  
album. oui. agitati numero j.  
applicetur fronti.

Ad cor refrigerandum in febre ardente, in ipsius accessionis vigore, & ad sudores symptomatricos sistendos:

℞. Aq. stillatitiæ, rosar. violar. nenuph. buglos.  
borrag. an. ℥ ii.

R 3

aceti.